



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Disputatio Theologica. De modo Ligandi & Absolvendi Peccatores Consuetudinarios & Recidivos**

**Joachim <A Jesu-Maria>**

**Namurci, 1693**

Einleitung

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39165**

(3)  
DISPUTATIO  
THEOLOGICA

De modo ligandi & absolvendi peccato-  
res recidivos & consuetudinarios.

**R**ecurrentibus materiæ de Sacramentis Le-  
ctionibus, recurrunt & disputationes habenda,  
& licet à Controversiis de recidivis aliquibus fortè  
videbitur supersedendum, si vè quia eas fusè in praece-  
dentibus discussimus: si vè quia sum terminata per con-  
demnationem propositionum modernam praxim impu-  
gnantium à S. S. D. N. Alexandro VIII. factam:  
quia tamen propositiones condemnatas licet semper im-  
pugnare: utque uniformitas doctrinae nostra cum Sa-  
cræ Scripturæ, Sanctis Patribus ac Summorum Pon-  
tificum Decretis magis ac magis elucescat, hanc com-  
pendiosam omnium à nobis circa hanc materiam dicto-  
rum disputationem instituisse convenire iudicamus.

§. I.

Propositiones ab ALEX: VIII. condemnatae  
nostram controversiam concernentes hæ sunt.

16. **O**rdinem permittendi satisfactionem absolu-  
tioni, induxit, non politia, aut institutio  
Ecclesie, sed ipsa Christi Lex & prescriptio, naturæ  
rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœni-  
tentie est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem  
Sacramenti Pœnitentie, etiamsi eam plurimorum ho-  
minum sustentet authoritas, & multi temporis diu-  
turnitas confirmet: nihilominus ab Ecclesiâ non ha-  
betur pro usu seu abusu.

20. *Confessiones apud Religiosos factæ, pleraque sacrilegæ sunt vel invalidæ.*

Nemini dubium esse potest quòd secundùm *praxim* mox absolvendi, atque secundùm *consuetudinem* modernam quoad *administrationem Sacramenti Pœnitentiæ* ordinariè credatur pœnitenti dicenti pro se & contra se, nisi ratio manifesta appareat in contrarium; adeòque quòd non exigantur illa pœnitentiæ exercitia longo tempore ante abolutionem continuata ut pœnitenti credatur, sicut volunt adversarii nostri; tamen declarat Pontifex per *illam praxim*, pœnitentiæ ordinem non esse inversum, *consuetudinem illam* non esse abusum, condemnatque dicentes confessiones apud Religiosos factas, pleraque, vel esse sacrilegas, vel invalidas; & cùm Adversarii affirmant esse vel sacrilegas vel invalidas, quia relapsus tribuunt impænitentiæ, in his qui longa illa opera non practicant: ideo meritò diximus totam controversiam esse conformiter ad nostram doctrinam à SS. D. N. ALEXANDRO VIII. terminatam: siquidem in hoc consistebat, *an ordinariè credendum sit pœnitenti dicenti sese dispositum, dum ratio manifesta non apparet in contrarium: an verò sit disponendus & probandus per longa pœnitentiæ exercitia ante abolutionem; item an relapsus recidivorum inconstantia propositi, seu instabili pœnitentiæ, vel carentia propositi, seu impænitentiæ sint ordinariè tribuendi; denique an confessiones recidivorum ordinariè sint, vel sacrilegæ vel invalidæ.* Propter rationes dictas has tres difficultates denuò elucidamus.

#### ARTICULUS I.

*De Peccatoribus consuetudinariis & recidivis.*

**I**mpietas impij non nocebit ei in quâcumque die conversus fuerit ab impietate suâ. Ezech. 33. Quia